in me nō morieť ineternū. Kyri el.
Xpe el. Kyri el. Pr̄ noster. ps. 29.

Exaltabo te dñe qm̄ suscepisti
me: nec delectasti inimicos
meos sup me. Dñe de⁹ meus cla-
maui ad te: et sanasti me. Dñe
eduxisti ab inferno aīam meā: sal-
uasti me a descendentibus in lacū.
Psallite dño sci eius: ⁊ cōfitemini
memorie scitatis eius. Qm̄ ira in
indignatione ei⁹: ⁊ vita in volūtate
eius. Ad vesperū demorabiť fle-
tus: et ad matutinum leticia. Ego
aūt dixi in abundātia mea: nō mo-
uebor ineternū. Dñe in volūtate
tua: prestitisti decori meo virtutē.
Auertisti faciē tuā a me: ⁊ factus
sum conturbatus. Ad te dñe cla-
mabo: ⁊ ad deū meum deprecabor.
Que vtilitas in sanguine meo: dū
descendo in corruptionē. Nūquid
cōfitebiť tibi puluis: aut annūcia-
bit veritatem tuā. Audiuit dñs ⁊
misertus est mei: dñs factus est ad-

sutor meus. Conuertisti planctū meū in gaudiū michi: ꝛcidisti saccū meū ꝛ circūdedisti me leticia. Ut cātet tibi glīa mea et nō cōpungar: dñe de⁹ me⁹ ineternū cōfitebor tibi. Requiē eternā dona eis dñe. Et lux ppetua luceat eis. A porta inferi. Erue dñe aīas eorū. Credo videre bona dñi. In terra viuentiū. Dñe exaudi orationē meā. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Deus cui proprium est misereri semper et parcere suscipe deprecationē nostram: vt quos delictorum cathena constringit miseratio tue pietatis absoluat. Per xpm dñm nostrū. Amen. Oremus.

Omnipotens sempiterne deus cui nunq̄ sine spe misericordie supplicatur: propiciare aīe famuli tui N. vel famule tue N. vt qui de hac vita in tui nominis confessione decessit: sanctorum tuorum numero facias aggregari.

Deus cuius misericordie non est numerus suscipe ꝓ animab⁹ famulor tuor pontificū preces nr̄as et lucis eis leticieq̄ regionē in sanctorū tuorū societate concede.

Inclina dñe aurē tuā ad preces nr̄as q̄bus miam tuā supplices deprecamur: vt aīas famulorum famularumq̄ tuarū quas de hoc seculo migrare iussisti in pacis ac lucis regione cōstituas et sctōrū tuorum iubeas esse consortes.

A Nimabus q̄s dn̄e famulorū famularūq; tuarū oratio pficiat supplicantium: vt eas ⁊ a pctīs oīb⁹ exuas: et tue redēptiōis facias esse participes. Qui viuis ⁊ regnas deus. Per oīa secula sclōꝝ. Amen.
¶ In feriis inter festum animarum et pascha. Psalmus. 112.
Uoce mea ad dn̄m clamaui: voce mea ad dn̄m deprecat⁹ sum. Effundo in ꝯspectu ei⁹ orōnē meā: et tribulationē meā: ante ip̄m pnūcio. In deficiendo ex me spiritū meum: ⁊ tu cognouisti semitas meas. In via hac qua ambulabā absconderunt supbi laqueū michi. Cōsiderabam ad dexterā ⁊ videbam: ⁊ nō erat qui cognosceret me. Periit fuga a me ⁊ nō est q̄ requirat animā meam. Clamaui ad te dn̄e dixi tu es spes mea: portio mea in terra viuentiū. Intende ad deprecationē meā: quia humiliatus sum nimis. Libera me a psequentibus me: quia confortati sunt sup me. Educ de custodia animā meā ad ꝯfitendū nōi tuo: me expectant iusti donec retribuas michi.
Sancte et indiuidue trinitati iesu xp̄i crucifixi humanitati gl'iose marie ꝟgini sit sempit'na gl'ia ab oī creatura p īfinita sclōꝝ scl'a. Amē.
Benedictū sit dulce nomē dn̄i nr̄i iesu xp̄i ⁊ gl'iose ꝟginis marie matris ei⁹ ineťnū et vltra. Nos cū ple pia benedicat virgo maria. Amē.

Mundi saluator/ sit nobis auxilia-
tor. Amē. Et aie oim fideliū defūn-
ctoꝝ ꝑ miam dei requiescāt in pace
Amē. Da requiē cunctis deus hic
et vbiqꝫ sepultis: vt sint in requie
ꝓpter tua vulnera quinqꝫ. Amen.
Sit laus deo par viuis et requies
defunctis. Amē. ¶ Incipiūt com-
mendationes animarum. ps. 118.

Beati imaculati in via
q̄ ambulāt in lege dn̄i.
Beati q̄ scrutāt̄ testi-
monia ei⁹: in toto cor-
de exq̄rūt eū. Nō eni
qui operant̄ iniquitatē: in viis ei⁹
ābulauerūt. Tu mādasti mādata
tua: custodiri nimis. Utinā diri-
gant̄ vie mee: ad custodiēdas iusti-
ficationes tuas. Tūc nō cōfundar
cū ꝑspexero in oibus mādatis tuis.
Confitebor tibi in directione cor-
dis: in eo q̄ didici iudicia iusticie
tue. Iustificationes tuas custodiā
non me derelinquas vsqꝫquaqꝫ.

In quo corrigit adolescentior
viā suā: in custodiendo sermo-
nes tuos. In toto corde meo exq̄-
siui te: ne repellas me a mādatis tuis
In corde meo abscondi eloq̄a tua:
vt nō peccē tibi. Benedictus es dn̄e:
doce me iustificationes tuas. In
labiis meis pronūciaui: oīa iudicia
oris tui. In via testimonioꝝ tuo-
rū delectatus sum: sicut in oibus di-
uitiis. In mādatis tuis exercebor
et cōsiderabo vias tuas. In iusti-

ficationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.
Retribue seruo tuo viuifica me: et custodiā sermones tuos. Reuela oculos meos et cōsiderabo mirabilia de lege tua. Incola ego sū in terra: nō abscondas a me mādata tua. Concupiuit aīa mea desiderare iustificationes tuas in oī tpe. Increpasti suꝑbos maledicti q̄ declināt a mādatis tuis. Aufer a me opprobriū et cōtēptū: qꝛ testimonia tua exquisiui. Etenī sederūt ꝑncipes et aduersū me loq̄bant: seruus aūt tuus exercebat in iustificatiōibus tuis. Nā et testionia tua meditatio mea est: et cōsiliū meū iustificationes tue.
Adhesit pauimento aīa mea: viuifica me scdm verbū tuū. Vias meas annunciaui et exaudisti me: doce me iustificationes tuas. Viam iustificationū tuarū instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis. Dormitauit aīa mea pre tedio: cōfirma me in vbis tuis. Viā iniquitatis amoue a me: et de lege tua miserere mei. Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus. Adhesi testimoniis tuis dñe: noli me cōfundere. Viam mandatorū tuorū cucurri: cū dilatasti cor meū.
Legem pone michi dñe viam iustificationū tuarū: et exquiram eā semp. Da michi intellectū et scrutabor legem tuā: et custodiā illā in toto corde meo. Deduc me

in semita mandatoꝝ tuoꝝ: quia
ipsam volui. Inclina coꝛ meū in
testimonia tua: et non in auariciā.
Auertisti oculos meos ne videāt
vanitatem: in via tua viuifica me.
Statue seruo tuo eloquiū tuū: in
timoꝛe tuo. Imputa opprobrium
meū qđ suspicatus sum: quia iudi-
cia tua iocūda. Ecce cōcupiui mā-
data tua: in equitate tua viuifica
me. Et veniat super me mīa tua
dn̄e: salutare tuum scd̄m eloquiū
tuū. Et respondebo exprobrantí-
bus michi verbum: quia speraui in
sermonibus tuis. Et ne auferas
de oꝛe meo verbū veritatis vsq;-
quaq;: quia in iudiciis tuis supspe-
raui. Et custodiā legē tuam sem-
per: in seculum et in seculum seculi.
Et ambulabā in latitudine: quia
mandata tua exquisiui. Et loque-
bar de testimoniis tuis in cōspectu
regū: et non confundebar. Et me-
ditabar in mandatis tuis: que di-
lexi. Et leuaui manus meas ad
mandata tua que dilexi et exerce-
boꝛ in iustificationibus tuis.

Memoꝛ esto verbi tui seruo tuo
in quo michi spem dedisti.
Hec me cōsolata est in humilitate
mea: quia eloquium tuū viuifica-
uit me. Superbi inique agebant
vsq;quaq;: a lege autē tua non de-
clinaui. Memoꝛ fui iudicioꝝ tuo-
rū a seculo dn̄e: et consolatus sum.
Defectio tenuit me: pꝛo peccat

tib⁹ derelinquētib⁹ legē tuā. Can
tabiles michi erant iustificationes
tue: in loco peregrinationis mee.
Memor fui nocte nōis tui dn̄e: et
custodiui legē tuā. Hec facta ē mi-
chi: qꝛ iustificationes tuas exq̄siui.
Portio mea dn̄e: dixi custodi-
re legē tuā. Deprecat⁹ sum
faciem tuā in toto corde meo: mise-
rere mei scd̄m eloquiū tuū. Cogi-
taui vias meas: et conuerti pedes
meos in testimonia tua. Paratus
sum et nō sum turbat⁹: vt custodiā
mādata tua. Funes pctōꝝ circū-
plexi sunt me: et legem tuā nō sum
oblitus. Media nocte surgebā ad
confitendū tibi: sup iudicia iustifi-
cationis tue. Particeps ego sum
oīm timētiū te: ꝛ custodientiū man
data tua. Mia tua dn̄e plena est
terra: iustificationes tuas doce me.
Bonitatē fecisti cum seruo tuo
dn̄e: scd̄m vbū tuū. Bonita-
tē ꝛ disciplinā ꝛ scientiā doce me: qꝛ
in mandatis tuis credidi. Priusq̄
humiliarer ego deliq̄: ꝓpterea elo-
quiū tuū custodiui. Bonus es tu:
et in bonitate tua doce me iustifi-
cationes tuas. Multiplicata est su
per me iniquitas suporū: ego aūt
in toto corde meo scrutabor man-
data tua. Coagulatū est sicut lac
cor eoꝝ: ego vero legē tuā medita-
tus sum. Bonū michi quia humi-
liasti me: vt discam iustificationes
tuas. Bonum michi lex oris tui:

uper milia auri et argenti.
M Anus tue fecerūt me ꝛ plas-
mauerūt me:da michi intel-
lectū vt discā mandata tua. Q ui
timent te videbūt me ꝛ letabuntur
qꝛ in vba tua supsperaui. C ogno
ui dñe quia equitas iudicia tua: et
in vitate tua humiliasti me. F iat
mia tua vt cōsoletur me: scdm elo-
quiū tuū seruo tuo. V eniant mi-
chi miserationes tue et viuā : quia
lex tua meditatio mea est. C ōfun
dant supbi quia iniuste iniquitatē
fecerūt in me:ego aūt exercebor in
mādatis tuis. C ōuertātur michi
timētes te:et q̄ nouerūt testimonia
tua. F iat cor meū immaculatū
iustificationib⁹ tuis vt nō ꝯfūd
D Efecit in salutare tuum
mea:et in verbū tuū su
raui. D efecerūt oculi mei in
quiū tuū: dicētes qñ ꝯsolaberi
Q uia fact⁹ sū sicut vter in pr
iustifica..ones tuas nō .um ob
Q uot sunt dies serui tui:quar
facies de psequentibus me iudi
N arrauerūt michi iniqui fab
tiones:sed nō vt lex tua. O ia m
data tua veritas : iniqui perse
sunt me adiuua me. P aulomin
ꝯsummauerūt me in terra:ego a
non dereliqui mādata tua. S cdm
miam tuā viuifica me:ꝛ custodia
testimonia oris tui. I neternū dñe
verbū tuū pmanet in celo. I n ge
neratione ꝛ gnatione veritas tue

iniquitati eterni i pmanet. Ordinatione tua perseuerat dies: qm omnia seruiunt tibi. Nisi q lex tua meditatio mea est: tunc forte perissem in humilitate mea. In eternu no obliuiscar iustificatioes tuas: qz in ipis viuificasti me. Tuus su ego saluu me fac: qm iustificatioes tuas exquisiui. Me expectauerut pctores vt perderent me: testimonia tua intellexi. Omnis consummationis vidi finem: latu mandatu tuu nimis.

Quomodo dilexi lege tua dne tota die meditatio mea est. Sup inimicos meos prudente me mandato tuo: quia ineternum est. Super oes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Sup senes intellexi mandata tua quesiui. Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua. A iudiciis tuis non declinaui: quia tu legem posuisti michi. Qua dulcis faucibus meis eloquia tua: sup mel ori meo. A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omne via iniquitatis. Lucerna pedibus meis vbu tuu: et lumen semitis meis. Iuraui et statui: custodire iudicia iusticie tue. Humiliatus sum vsqz quaqz dne: viuifica me secundu verbu tuum. Voluntaria oris mei beneplacita fac domine: et iudicia tua doce me. Anima mea i manibus meis semp: et lege tua non sum oblitus.

Posuerūt peccatores laqueū michi: & de mādatis tuis nō erraui. Hereditate acq̄siui testimonia tua ineternū qꝫ exultatio cordis mei sūt. Inclina cor meū ad faciēdas iustificationes tuas ineternū: ppt retributionē.

Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi. Adiutor et susceptor meus es tu: et in verbum tuum supersperaui. Declinate a me maligni: et scrutabor mandata dei mei. Suscipe me secundū eloquiū tuū et viuam: et non confundas me ab expectatione mea. Adiuua me et saluus ero & meditabor in iustificationibus tuis semper. Spreuisti oēs discedentes a iudiciis tuis: qꝫ iniusta cogitatio eorū. Preuaricātes reputaui oēs peccatores terre: et ideo dilexi testimonia tua. Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui.

Feci iudiciū & iusticiā: nō tradas me calumniantibus me. Suscipe seruū tuū in bonū: nō calumnient me supbi. Oculi mei defecerūt in salutare tuū: & in eloquiū iusticie tue. Fac cū seruo tuo secundū miam tuā: et iustificationes tuas doce me. Seruus tu⁹ sum ego da michi intellectū vt sciā testimonia tua. Tēp⁹ faciēdi dn̄e dissipauerūt legē tuā. Ideo dilexi mādata tua: sup aurū & topazion. Propterea ad oia mandata tua dirigebar: oēm viam iniquā odio habui.

Mirabilia testimonia tua dñe ideo scrutata est ea aia mea. Declaratio sermonũ tuoꝝ illumi na: ⁊ intellectum dat paruulis. Os meũ aperui ⁊ attraxi spm̃: quia mã data tua desiderabam. Aspice in me et miserere mei: secundũ iudi ciũ diligentiũ nomen tuũ. Gressus meos dirige scđm eloquium tuũ: et non dominetur mei oĩs iniusticia. Redime me a calũniis hominum vt custodiã mãdata tua. Faciem tuam illumina super seruum tuũ: ⁊ doce me iustificationes tuas. Exi tus aquarum deduxerũt oculi mei: quia non custodierũt legem tuam.

Iustus es dñe: et rectum iudi cium tuũ. Mandasti iusticiã testimonia tua: et veritatẽ tuã ni mis. Tabescere me fecit zelꝰ meꝰ: quia obliti sunt verba tua inimici mei. Ignitũ eloquiũ tuum vehe menter: ⁊ seruus tuus dilexit illud. Adolescẽtulus sum ego ⁊ cõtẽptus iustificationes tuas nõ sum oblitꝰ. Iusticia tua iusticia in eternũ: et lex tua veritas. Tribulatio ⁊ angustia inuenerũt me mandata tua medi tatio mea est. Equitas testimonia tua in eternũ: itellectũ da michi ⁊ viuã.

Clamaui in toto corde exaudi me dñe: iustificationes tuas requiram. Clamaui ad te saluum me fac: vt custodiam mãdata tua. Preueni in maturitate et clama ui: quia in verba tua supersperaui.

Preuenerunt oculi mei ad te di-
luculo: vt meditarer eloquia tua.
Vocem meã audi scd'm miam tuã
dñe:et scd'm iudicium tuũ viuifica
me. Appropinquauerũt ꝑsequen
tes me iniq̃tati: a lege aũt tua lõge
facti sunt. Prope es tu dñe:& oẽs
vie tue veritas. Initio cognoui de
testimoniis tuis:q2 ieternũ fũdasti ea.
Vide humilitatẽ meã & eripe
me:q2 legẽ tuã nõ sum oblit9
Iudica iudiciũ meũ & redime me:
ꝓpter eloquium tuũ viuifica me.
Longe a pctõrib9 salus:q2 iustifi-
cationes tuas nõ exquisierũt. Mise
tue multe dñe: scd'm iudiciũ tuum
viuifica me. Multi q̃ persequũtur
me et tribulant me: a testimoniis
tuis nõ declinaui. Vidi ꝑuarican-
tes & tabescebam:quia eloquia tua
nõ custodierũt. Vidi quõ mãdata
tua dilexi dñe: in mia tua viuifica
me. Principiũ verbo2 tuo2 veri-
tas:in eternũ oĩa iudicia iusticie tue.
Principes ꝑsecuti sunt me gra
tis:et a verbis tuis formidauit
co2 meũ. Letabo2 ego sup eloquia
tua:sicut qui inuenit spolia multa.
Iniquitatem odio habui & abho-
minatus sum:legẽ autẽ tuã dilexi.
Septies in die laudẽ dixi tibi: sup
iudicia iusticie tue. Pax multa di
ligentibus legẽ tuam: et non est il-
lis scandalum. Expectabam salu-
tare tuum domine: & mandata tua
dilexi. Custodiuit aĩa mea testi-

monia tua:et dilexit ea vehemēter. Seruaui mandata tua et testimonia tua:quia omnes vie mee in conspectu tuo. Appropinquet deprecatio mea in ꝯspectu tuo dñe: iuxta eloquiū tuum da michi intellectū. Intret postulatio mea in ꝯspectu tuo : scđm eloquiū tuum eripe me. Eructabunt labia mea hymnū cū docueris me iustificationes tuas. Pronūciabit lingua mea eloquiū tuū: quia oīa mādata tua equitas. Fiat manus tua vt saluet me:qm̄ mandata tua elegi. Concupiui salutare tuum dñe: ꝯ lex tua meditatio mea est. Uiuet aīa mea et laudabit te:ꝯ iudicia tua adiuuabunt me. Erraui sicut ouis que periit: quere seruū tuū dñe: quia mādata tua nō sum oblitꝰ. Requiē eternā dona eis dñe. Et lux perpetua luceat eis. Kyri eleyson. Xpe eleyson. Kyri el'. Pater nr̄. Aue ma. Ps. 138.

Domine pbasti me et cognouisti me:tu cognouisti sessionem meam ꝯ resurrectionē meam. Intellexisti cogitationes meas de longe semitā meā et funiculū meū inuestigasti. Et omnes vias meas preuidisti:quia nō est sermo in lingua mea. Ecce domine tu cognouisti omnia nouissima et antiqua: tu formasti me ꝯ posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me:ꝯfortata est ꝯ nō potero ad eam. Quo ibo a spū tuo

et quo a facie tua fugiā. Si ascen-
dero in celū tu illic es: si descendero
ad infernū ades. Si sumpsero pen
nas meas diluculo: ⁊ habitauero in
extremis maris. Etenim illic ma-
nus tua deducet me: et tenebit me
dextera tua. Et dixi forsitan tene-
bre conculcabunt me: ⁊ nox illumi-
natio mea in deliciis meis. Quia
tenebre nō obscurabunt a te ⁊ nox
sicut dies illuminabitur sicut tene-
bre eius ita ⁊ lumē eius. Quia tu
possedisti renes meos suscepisti me
de vtero matris mee. Cōfitebor ti
bi quia terribiliter magnificatꝰ es
mirabilia opera tua: et aīa mea co-
gnoscet nimis. Non est occultatū
os meū a te qđ fecisti in occulto: et
substātia mea in inferioribꝰ terre.
Imꝑfectū meū viderunt oculi tui
⁊ in libro tuo oēs scribent: dies for-
mabunt et nemo in eis. Michi aūt
nimis honorificati sunt amici tui
deus nimis cōfortatus est principa
tus eorū. Dinumerabo eos ⁊ sup
arenam multiplicabūtur: exurrexi
et adhuc sum tecum. Si occideris
deus pctōres: viri sanguinū decli-
nate a me. Quia dicitis in cogita
tione accipiant in vanitate ciuita-
tes suas. Nōne qui oderūt te do-
mine oderam: et sup inimicos tuos
tabescebā. Perfecto odio oderam
illos: inimici facti sūt michi. Pro-
ba me deus et scito cor meū: inter-
roga me et cognosce semitas meas

Et vide si via iniquitatis in me est: et deduc me in via eterna. Requiem eternam dona eis domine. Et lux perpetua luceat eis. A porta inferi. Erue domine animas eorum. Credo videre bona domini. In terra viventium. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Oratio.

Tibi domine commendo animam famuli tui N. et animas famulorum famularumque tuarum: ut defuncti seculo tibi vivant: et que per fragilitatem mundane conversationis peccata admiserunt tu venia misericordissime pietatis absterge. Per christum dominum nostrum. Amen.

¶ Psalmi de passione christi. Ps. 21.



Deus deus meus respice in me quare me dereliquisti: longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem et non exaudies: et nocte et non ad insipientiam michi. Tu autem in sancto habitas laus israel. In te speraverunt patres nostri: speraverunt et liberasti eos. Ad te clamaverunt et salvi facti sunt: in te speraverunt et non sunt confusi. Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in domino eripiat eum salvum faciat eum quoniam vult eum. Quoniam tu es qui ex-

traxisti me de vētre spes mea ab vbe
ribꝰ matris mee: in te ꝓiectꝰ sum ex
vtero. De ventre matris mee deꝰ
meꝰ es tu: ne discesseris a me. Qm̄
tribulatio ꝓxima est: qm̄ nō est qui
adiuuet. Circūdederūt me vituli
multi: tauri pingues obsederūt me.
Aperuerūt super me os suū: sicut
leo rapiens ⁊ rugiens. Sicut aqua
effusus sum: ⁊ dispersa sunt oia ossa
mea. Factū est cor meū tanq̄ ce=
ra liquescens: in medio vētris mei.
Aruit tanq̄ testa virtꝰ mea ⁊ lin=
gua mea adhesit faucibus meis: et
in puluerem mortis deduxisti me.
Quoniā circūdederunt me canes
multi: cōsilium malignantium ob=
sedit me. Foderūt manus meas
et pedes meos: dinumerauerūt oia
ossa mea. Ipsi vero considerauer=
runt et inspexerūt me diuiserūt si=
bi vestimenta mea: ⁊ super vestem
meam miserūt sortē. Tu autē dn̄e
ne elongaueris auxiliū tuum a me:
ad defensionē meā conspice. Erue
a framea deus animā meam: et de
manu canis vnicam meam. Salua
me ex ore leonis et a cornibus vni=
cornīū humilitatē meā. Narrabo
nomen tuū fratribꝰ meis: in medio
ecclesie laudabo te. Qui timetis
dn̄m laudate eū: vniuersum semen
iacob glorificate eum. Timeat eū
oē semen israel: qm̄ nō spreuit neq3
despexit deprecationē pauperis. Nec
auertit faciē suā a me: et cū clama=

rem ad eum exaudiuit me. Apud
te laus mea in eccl'ia magna: vota
mea reddā in ɔspectu timentiū eū.
Edent pauperes ⁊ saturabuntur ⁊
laudabūt dn̄m q̄ requirūt eū viuēt
corda eoꝝ i scl'm scl'i. Reminiscen
tur et cōuertētur ad dn̄m vniuersi
fines t're. Et adorabūt in ɔspectu
ei⁹: vniuerse familie gentiū. Qm̄
dn̄i est regnū: ⁊ ipse dn̄abit̄ gentiū.
Manducauerūt ⁊ adorauerūt oēs
pingues terre: in ɔspectu ei⁹ cadent
oēs qui descendūt in terrā. Et aīa
mea illi viuet: ⁊ semen meū seruiet
ipsi. Annūciabit̄ dn̄o gn̄atio ven
tura et annūciabūt celi iusticiā ei⁹:
pp'lo qui nascet̄ quē fecit dn̄s. Ps.

Domin⁹ regit me ⁊ nichil mi-
chi deerit: in loco pascue ibi
me collocauit. Sup aquā refectio-
nis educauit me: aīam meā ɔuertit.
Deduxit me sup semitas iusticie:
ppter nomē suū. Nā ⁊ si ambula-
uero in medio vmbre mortis: nō ti-
mebo mala qm̄ tu mecū es. Uirga
tua ⁊ baculus tuus: ipsa me ɔsolata
sunt. Parasti in ɔspectu meo men
sam: aduersus eos q̄ tribulant me.
Impinguasti in oleo caput meū: ⁊
calix me⁹ inebrians q̄ preclarus est.
Et mīa tua subsequet̄ me: oībus
diebus vite mee. Et vt inhabitem
in domo dn̄i: i lōgitudinē dierū. Ps.

Domini est terra ⁊ plenitudo
eius: orbis terrarū ⁊ vniuer-
si qui habitāt in eo. Quia ipse su-

maria fundauit eū: et sup flumina preparauit eū. Quis ascendet in mōtem dñi: aut quis stabit in loco sancto eius. Innocēs manibus et mūdo corde: qui nō accepit in vano aiam suā nec iurauit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionē a dño: et miam a deo salutari suo. Hec est gñatio q̄rentiū eū: querentium faciē dei iacob. Attollite portas pncipes vr̄as ₇ eleuamini porte eternales et introibit rex glorie. Quis est iste rex glie: dñs fortis ₇ potens dñs potens in prelio. Attollite portas principes vestras et eleuamini porte eternales: ₇ introibit rex glie. Quis est iste rex glorie: dñs virtutū ipse est rex glie. ps.

Ad te dñe leuaui animā meā: deus me⁹ in te ɔfido nō erubescā. Neq₃ irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui sustinent te nō cōfundent. Cōfundant oēs iniqua agētes: superuacue. Uias tuas dñe demonstra michi: ₇ semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua et doce me/quia tu es deus saluator me⁹: ₇ te sustinui tota die. Reminiscere miserationū tuarū dñe: ₇ miarū tuarū q̄ a seculo sunt. Delicta iuuentutis mee: ₇ ignorantias meas ne memineris. Scdm miam tuam memento mei tu: pp̄ter bonitatē tuā dñe. Dulcis et rectus dñs: propter hoc legē dabit delinquētibus in via. Diri-

get mãsuetos in iudicio docebit mi-
tes vias suas. Uniuerse vie dñi
mia et vitas requirentib⁹ testamẽtũ
ei⁹ & testimonia ei⁹. Propt nomen
tuũ dñe ppiciaberis pctõ meo:mul
tũ est eni. Quis est homo q̃ timet
dñm: legẽ statuit ei in via quã ele-
git. Aia ei⁹ in bonis demorabit:et
semen ei⁹ hereditabit terrã. Fir-
mamentũ est dñs timentib⁹ eum:&
testamẽtũ ipsi⁹ vt manifestet illis.
Oculi mei semper ad dñm:qm ipse
euellet de laqueo pedes meos. Re-
spice in me et miserere mei:qz vni-
cus et paup sum ego. Tribulatio-
nes cordis mei multiplicate sunt:de
necessitatib⁹ meis erue me. Uide
humilitatẽ meã & laborẽ meũ:& di-
mitte vniuersa delicta mea. Re-
spice inimicos meos qm multipli-
cati sunt:& odio iniquo oderũt me.
Custodi animã meã & erue me:nõ
erubescã qm speraui in te. Inno-
centes & recti adheserũt michi:quia
sustinui te. Libera deus israel:ex
oibus tribulationibus suis. ps. 25.

Iudica me dñe qm ego in ino-
cẽtia mea igressus su:et i dño
sperãs nõ infirmabor. Proba me
dñe & tenta me: vre renes meos et
cor meũ. Qm mia tua ante oculos
meos est:et cõplacui in vitate tua.
Nõ sedi cũ glio vanitat:& cũ ini-
qua gerẽtibus nõ introibo. Odiui
ecclãz malignãtiũ:& cũ ipiis nõ se-
debo. Lauabo inter innocẽtes man⁹

meas: et circundabo altare tuum dne. Ut audiam vocem laudis: et enarrem vniuersa mirabilia tua. Dne dilexi decorē dom⁹ tue: ꝛ locū habitationis glie tue. Ne pdas cū impiis de⁹ aiam meā: et cū viris sanguinū vitā meā. In quoꝝ manib⁹ iniquitates sunt: dextera eoꝝ repleta est muneribus. Ego autē in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei. Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te domine. Psalmus.

Dominus illuminatio mea: ꝛ sal⁹ mea quē timebo. Dns protecto: vite mee: a quo trepidabo. Dū appropiāt sup me nocētes: vt edant carnes meas. Qui tribulāt me inimici mei: ipsi infirmati sūt et ceciderūt. Si ꝯsistāt aduersum me castra nō timebit coꝛ meū. Si exurgat aduersum me prelium: in hoc ego sperabo. Unā petii a dno hanc requirā vt inhabitē in domo dni: oībus diebus vite mee. Ut videam volūtatē dni: ꝛ visitē templū eius. Qm̄ abscondit me in tabernaculo suo: in die maloꝝ protexit me in abscōdito tabernaculi sui. In petra exaltauit me: et nunc exaltauit caput meum: super inimicos meos. Circuiui ꝛ immolaui in tabernaculo eius hostiā vociferationis cantabo: et psalmū dicā dno. Exaudi dne orationē meā qua clamaui ad te: miserere mei et exaudi me. Ti-

bi dixit cor meū exq̄siuit te facies mea: faciē tuam dn̄e requirā. Ne auertas faciem tuā a me ne declines in ira a seruo tuo. Adiutor meus esto dn̄e ne derelinquas me neq̄ despicias me deus salutaris meus. Qm̄ pater meus ⁊ mr̄ mea dereliq̄runt me: dn̄s aūt assumpsit me. Legē pone michi dn̄e in via tua et dirige me in semita recta ꝑpter inimicos meos. Ne tradideris me in aīas tribulantiū me: qm̄ insurrexerūt in me testes iniqui: et mētita est iniq̄tas sibi. Credo videre bona dn̄i: in terra viuentium. Expecta dn̄m viriliter age ⁊ ꝯfortetur cor tuū ⁊ sustine dn̄m. ps. 27.

Ad te dn̄e clamabo deus meꝰ ne sileas a me: neq̄n taceas a me ⁊ assimilabor descendentibus in lacū. Exaudi dn̄e vocē deprecationis mee dum oro ad te: dum extollo manus meas ad tēplū sctm̄ tuū. Ne simul tradas me cū pctōribus: et cū operātibus iniq̄tatē ne ꝑdas me. Qui loquuntur pacē cū proximo suo: mala aūt in cordibus eorꝝ. Da illis scdm̄ opa eorꝝ: ⁊ scdʒ nequitiam adinuentionum ipsorꝝ. Scdm̄ opa manuū eorū tribue illis: redde retributionē eorū ipsis. Qm̄ nō intellexerūt opa dn̄i: et in opa manuū eiꝰ: destrues illos et nō edificabis eos. Benedictus dn̄s: qm̄ exaudiuit vocē deprecationis mee. Dn̄s adiutor meꝰ ⁊ ꝓtector me⁹

in ipso sperauit cor meũ z adiutus sum. Et refloruit caro mea: z ex volũtate mea ꝯfitebor ei. Dñs forti-tudo plebis sue z ꝓtector saluationũ xpi sui est. Saluũ fac ppl'm tuũ dñe et bñdic hereditati tue: et rege eos et extolle illos vsq3 ineťnũ. ps.28.

Afferte dño filii dei: afferte dño filios arietũ. Afferte dño gloriam z honorẽ: afferte dño gloriã noĩ ei9 adorate dñm in atrio sctõ eius. Vox dñi sup aquas de9 maiestatis itonuit: dñs sup aquas multas. Vox dñi in virtute: vox dñi in magnificẽtia. Vox dñi con fringẽtis cedros: z ꝯfringet dñs ce-dros libani. Et cõminuet eos tãq̃ vitulũ libani: z dilect9 quẽadmodũ filius vnicorniũ. Vox dñi interci-dẽtis flãmã ignis vox dñi cõcutien tis desertũ: z cõmouebit dñs deser-tũ cades. Vox dñi ꝑparantis cer-uos z reuelabit cõdensa: et in tẽplo ei9 oẽs dicẽt gloriã. Dñs diluuiũ inhabitare facit: et sedebit dñs rex ineťnũ. Dñs ꝟtutẽ pplo suo dabit dñs bñdicet z pplo suo in pace. ps.

Exaltabo te dñe qm̃ suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Dñe deus meus clamaui ad te: et sanasti me. Dñe eduxisti ab inferno aiam meã: sal-uasti me a descendentibus in lacũ. Psallite dño scti eius: z ꝯfitemini memorie sctitatis eius. Qm̃ ira in indignatione ei9: z vita in volũtate

eius. Ad vesperū demorabit fle-
tus:et ad matutinum leticia. Ego
aūt dixi in abundātia mea:nō mo-
uebor ineternū. Dñe in volūtate
tua: prestitisti decori meo virtutē.
Auertisti faciē tuā a me: & factus
sum ꝯturbatus. Ad te dñe clama
bo:& ad deū meū deprecabor. Que
vtilitas in sanguine meo:dū descē-
do in corruptionē. Nunquid ꝯfite-
bit tibi puluis: aut annūciabit ve-
ritatē tuā. Audiuit dñs & misert⁹
est mei:dñs fact⁹ est adiutor meus.
Conuertisti planctū meū i gaudiū
michi ꝯcidisti saccū meū:& circūde-
disti me leticia. Ut cātet tibi glo͞ia
mea & nō cōpungar: dñe deus me⁹
ineternum confitebor tibi. Ps. 30.

In te dñe speraui non cōfun-
dar ineternum:in iusticia tua
libera me. Inclina ad me aurem
tuam: accelera vt eruas me. Esto
michi in deū ꝓtectorē:& in domū re-
fugii vt saluū me facias. Quoniā for-
titudo mea & refugiū meū es tu: et
ꝓpter nomē tuū deduces me & enu-
tries me. Educes me de laqo quē
abscōderūt michi:qm̄ tu es ꝓtector
me⁹. In man⁹ tuas cōmendo spm̄
meū:redemisti me dñe de⁹ ꝟitatis.
Añ. Xp̄s fact⁹ est ꝓ nobis obediens
vsqꝫ ad mortē mortē aūt crucis. ꝟ.
Ora ꝓ nobis sctā dei genitrix. ℟.
Ut digni efficiamur ꝓmissionibus
xp̄i. ꝟ. Ualde honorandus est bea-
tus iohānes. ℟. Qui supra pectus

domini in cena recubuit. Oratio.

Respice q̄s dn̄e sup hanc familiam tuā pro qua dn̄s nr̄ iesus xp̄s nō dubitauit manib⁹ tradi nocentiū et crucis subire tormentum.

Interueniat pro nobis dn̄e iesu xp̄e apud tuā clementiā nunc et in hora mortis nr̄e gloriosa virgo maria sanctissima mater tua cuius sacratissimā animam in hora passionis tue doloris gladius ptransiuit.

Beati iohānis apl̄i tui et euangeliste q̄s dn̄e de⁹ nr̄ nūc ⁊ i hora mortis nr̄e iugiter cōmendet oro qui in cruce moriēs matrē tuam virginē virgini cōmendasti. Qui viuis ⁊ regnas de⁹. Per oia scl̄a scl̄or. Amē.

Gloriosa passio domini nostri iesu xp̄i eruat nos a morte tristi et pducat nos ad gaudia paradisi. Amen.

Benedictū sit dulce nomē dn̄i nr̄i iesu xp̄i ⁊ gl̄iosissime virginis marie m̄ris ei⁹ ineternū ⁊ vltra. Amē. Nos cū ple pia benedicat virgo maria. Amē. Sctē ⁊ indiuidue trinitati iesu xp̄i crucifixi humanitati / gl̄iose virgini marie sit sempit̄na gl̄ia ab oī creatura p infinita scl̄or scl̄a. Amē.

Aue benigne iesu gr̄a plenus mia tecum. Benedicta passio mors ⁊ vulnera tua ⁊ bn̄dictus sanguis vulnerum tuor. dn̄e miserere michi pctōri. Dulcissime dn̄e da michi cor mundū/ cōtritū/ quietū/ patiens et humile/ castū corpus/ obediens ⁊ stabile semper in tuis obse-

quilis mancipatū. Qui viuis et regnas de⁹. Per oia scl'a scl'oꝝ. Amē.

Psalterium beati hieronymi.



Verba mea auribꝰ pcipe dñe: itellige clamorem meū. Intēde voci orationis mee: rex meꝰ et deꝰ meꝰ. Dñe ne in ira tua arguas me: neqꝫ in furore tuo corripias me. Miserere mei dñe qm̄ infirmus sū: sana me dñe qm̄ cōturbata sūt ossa mea. Et aīa mea turbata est valde: sed tu dñe vsqꝫ quo. Conuertere dñe ⁊ eripe aīaꝫ meā: saluū me fac pp̄ter miam tuā. Respice et exaudi me dñe deus meꝰ. Illumina oculos meos: ne vnq̄ obdormiā ī morte. Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueant vestigia mea. Ego clamaui quoniā exaudisti me deus inclina aurē tuā michi ⁊ exaudi v̄ba mea. Mirifica mias tuas: q̄ saluos facis sperātes in te. Custodi me dñe vt pupillā oculi: sub vmbra alarū tuarū protege me a facie impioꝝ q̄ me afflixerūt. Ab occultis meis munda me dñe: et ab alienis parce seruo tuo. Tu autē dñe ne longe facias auxiliū tuū a me: ad defēsionē meā cōspice. Erue a framea deus aīam meā: et de manu canis vnicā meā. Salua me ex ore leonis: ⁊ a corni-

bus vnicorniū humilitatē meam.
N arrabo nomē tuū fratrib⁹ meis in medio eccl'ie laudabo te. V ias tuas dn̄e notas fac michi et semitas tuas edoce me: et dirige me in virtute tua. R emento miserationum tuarū dn̄e: ꝛ mie tue que a seculo sunt. D elicta iuuētutis mee: et ignorātias meas ne memineris deus. S ecundū miam tuā memor esto mei: ꝓpter veritatē tuā dn̄e.
P ropter nomen tuū dn̄e ꝓpiciaberis pctō meo: multum est enim.
V ide humilitatē meā et laborem meum: et dimitte oīa peccata mea.
N e perdas cū impiis deus animā meā: ꝛ cū viris sanguinū vitā meā.
E xaudi dn̄e vocē meam qua clamaui ad te: miserere mei et exaudi me. N e auertas faciē tuā a me: ne declines in ira a seruo tuo. A diutor meus esto dn̄e ne derelinquas me: neq̄ despicias me deus salutaris meus. L egē pone michi dn̄e in via tua ꝛ dirige me in semita recta propter inimicos meos. N e tradideris me in aīas tribulātiū me: qm̄ insurrexerūt in me. A d te dn̄e clamabo deus meus ne sileas a me ne vnq̄ discedas a me: et ero similis descendentibus in lacum. E xaudi dn̄e vocē deprecationis mee dum oro ad te: dū extollo manus meas ad templū sanctū tuum. N e simul tradas me cū pctōribus et cū operantibus iniquitatē ne perdas me.

Saluũ fac pplm tuũ dñe ⁊ benedic
hereditati tue: et rege eos ⁊ extolle
illos vsqꝫ ineternũ. In te dñe spe-
raui nõ ꝯfundar ineternũ: in iusti-
cia tua libera me. Inclina ad me
aurẽ tuam: accelera vt eruas me.
Esto michi in deũ ꝓtectorẽ: et in
domũ refugii vt saluum me facias.
In man⁹ tuas dñe: cõmendo spm̃
meum. Libera me ⁊ eripe me: de
manibus inimicorũ meorũ. Illu-
mina faciẽ tuã super seruum tuum
saluum me fac in misericordia tua
dñe: non cõfundar qm̃ inuocaui te.
Fiat mia tua dñe super nos: quẽ-
admodũ sperauimus in te. Bene-
dicã dñm in omi tẽpore: semꝑ laus
eius in ore meo. In dño laudabit
aia mea: audiãt mansueti ⁊ letent.
Magnificate dñm mecũ et exalte-
mus nomen eius in idipsum. Iu-
dica dñe nocẽtes me: expugna im-
pugnãtes me. Apprehende arma
et scutũ: et exurge in adiutoriũ mi-
chi. Ne sileas dñe ne discedas a
me: ⁊ exurge ⁊ intende iudicio meo
deus meus et dñs meus in causam
meã. Iudica iusticiam meam: dñe
deus meus. Pretende dñe miam
tuã scientibus te: ⁊ iusticiam tuam
his qui recto sunt corde. Non ve-
niat michi pes superbie: et manus
peccatoris nõ moueat me. Exaudi
orõnẽ meã dñe ⁊ depcationẽ meã:
auribus percipe lachrymas meas.
Ne sileas quoniã aduena ego sũ

apud te ⁊ peregrinus sicut oēs pa=
tres mei: remitte michi vt refrige=
rer priusq̄ abeā ⁊ amplius nō ero.
Tu aūt dn̄e ne longe facias auxi=
lium tuū a me: mia tua ⁊ xitas tua
semp susceperūt me. Qm̄ circun=
dederūt me mala quorū nō est nu=
merus cōprehēderūt me iniq̄tates
mee: et non potui vt viderē. Mul=
tiplicate sunt sup capillos capitis
mei: ⁊ cor meū dereliquit me. Cō=
placeat tibi dn̄e vt eruas me: dn̄e
in auxiliū meū respice. Ego vero
egenus ⁊ paup sum: dn̄e curā habe
mei. Adiutor meus et protector
meꝰ tu es: deus meꝰ ne tardaueris.
Ego dixi dn̄e miserere mei: sana
animā meā qꝛ peccaui tibi. Exur=
ge quare obdormis dn̄e: exurge et
ne repellas in finē. Quare faciem
tuā auertis: obliuisceris inopie no=
stre et tribulatiōis nostre. Exurge
dn̄e adiuua nos: ⁊ libera nos ꝑpter
nomen tuum. Miserere mei deus
scd̄m magnā mīam tuā. Et scd̄m
multitudinē miserationum tuarū
dele iniquitatē meā. Et multū la=
ua me ab iniusticia mea: ⁊ a delicto
meo munda me. Auerte faciē tuā
a peccatis meis: et oēs iniquitates
meas dele. Cor mūdū crea in me
deus: et spm̄ rectū innoua in visce=
ribus meis. Ne proiicias me a fa
cie tua: et spm̄ scm̄ tuū ne auferas
a me. Redde michi leticiā saluta=
ris tui: ⁊ spū principali ꝯfirma me.

Domine labia mea aperies:⁊ os meū annūciabit laudē tuam. Deus in noīe tuo saluū me fac:et in virtute tua iudica me. Deus exaudi orationē meā: auribus pcipe vba oris mei. Quoniā alieni insurrexerunt in me/⁊ fortes quesierūt animā meā: et nō pposuerūt deū ante cōspectū suū. Exaudi deus orōnē meā:⁊ ne despexeris depcationē meā intēde in me ⁊ exaudi me. In deo laudabo verbum in dn̄o laudabo sermonē:in deo speraui nō timebo qd faciat michi homo. In me sunt deus vota tua:que reddam laudationes tibi. Quoniā eripuit animā meā de morte ⁊ pedes meos de lapsu:vt cōplaceā corā deo in terra viuētiū.
Miserere mei deus miserere mei: quoniā in te cōfidit aīa mea. Et in vmbra alarū tuarū sperabo:donec transeat iniquitas. Eripe me de inimicis meis de⁹ meus ⁊ ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatē:⁊ de viris sanguinum salua me. Quia ecce ceperūt aīam meā:irruerūt in me fortes. Ego vero orōnem meā ad te dn̄e:temp⁹ beneplaciti deus.
In multitudine mīe tue exaudi: in veritate salutis tue. Eripe me a luto vt non inhereā: libera me ex odientib⁹ me ⁊ de pfundo aquarū. Non me demergat tēpestas aque neq̄ absorbeat me pfūdū:neq̄ vrgeat sup me puteus os suū. Exau-

di me dñe qm̄ benigna est mia tua: scd̄m multitudinē miserationū tua=
rū respice in me. Intende aie mee et libera eā: ꝓpter inimicos meos eripe me. Deus in adiutoriū meū intende: dñe ad adiuuādū me festi=
na. Ego vero egenus ꝛ paup sum: deꝰ adiuua me. Adiutor meꝰ ꝛ li=
berator meꝰ esto dñe: ne tardaueris. In te dñe speraui nō cōfundar in eternum: in iusticia tua libera me ꝛ eripe me. Inclina ad me aurē tuā et salua me. Esto michi in deū ꝓ=
tectorē et in locū munitū: vt saluū me facias. Deus meus eripe me de manu pctōris: et de manu cōtra legē agentis ꝛ iniqui. Repleat os meū laude vt possim cantare gloriā tuam: tota die magnitudinē tuam. Ne proiicias me in tpe senectutis mee cū defecerit virtꝰ mea ne dere=
linquas me. Deus ne elongeris a me: deꝰ meꝰ in auxiliū meū respice. Ego aūt in te sperabo ꝛ adiiciā sup oēm laudē tuā. Ne tradas bestiis aias ꝯfitentiū tibi: et aias pauperū tuorū ne obliuiscaris in finē. Re=
spice in testamētū tuū: quia repleti sunt q obscurati sunt terre domibꝰ iniquitatū. Adiuua me deus salu taris noster: ꝛ ꝓpter gloriā nois tui dñe libera nos ꝛ ꝓpicius esto pctis nr̄is ꝓpter nomen tuū. Excita po=
tentiam tuam ꝛ veni: vt saluos fa=
cias nos. Dñe deus virtutū con=
uerte nos: ꝛ ostende faciem tuam ꝛ

salui erimus. Conuerte nos deus
salutaris noster: ꝛ auerte iram tuā
a nobis. Nunquid ineternū irasce=
ris nobis: aut extendes iram tuam
a generatione et progenie. Deus
tu conuersus viuificabis nos: ꝛ plebs
tua letabitur in te. Ostende nobis
dñe miam tuam: ꝛ salutare tuū da
nobis. Inclina dñe aurē tuam: et
exaudi me qm̄ egenus et paup sum
ego. Custodi aiam meā quoniam
peccator sum: saluū fac seruū tuum
deus meus sperantē in te. Misere=
re mei dñe qm̄ ad te clamaui tota
die: letifica animā serui tui qm̄ ad
te domine animā meā leuaui. Et
tu dñe deus miserator et misericors
patiens ꝛ multe mie ꝛ verax. Re=
spice in me et miserere mei da im=
periū puero tuo: ꝛ saluū fac filium
ancille tue. Fac mecum signū in
bono: vt videant q oderūt me ꝛ con
fundant qm̄ tu dñe adiuuisti me ꝛ
cōsolatus es me. Dñe deus salu=
tis mee in die clamaui ad te: et no=
cte corā te. Intret oro mea in con=
spectu tuo: inclina aurē tuā ad prec
meā. Ubi sunt mie tue antiq dñe
sicut iurasti dauid in veritate tua.
Memor esto dñe opprobrii seruor
tuorū: quod continui in sinu mul=
tarū gentiū. Conuertere dñe vsq=
quo: et deprecabilis esto sup seruos
tuos. Et sit splēdor dñi dei nostri
sup nos ꝛ opera manuū nostrarū di
rige sup nos: et opus manuū nrarū

dirige. Domine exaudi orationē meā: et clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuā a me: in quacūq; die tribulor inclina ad me aurem tuam. In quacūq; die inuocauero te: velociter exaudi me. Et ne educas me in dimidio dierū meoꝝ: i generatione ꝫ gñationē anni tui. Et tu dñe fac mecū ꝓpt nomē tuum: qm̄ suauis est mia tua. Dñe libera me q2 egenus ꝫ paup sum ego: ꝫ cor meū ꝯturbatū est intra me. Sicut vmbra cum declinat ablatus sum: et excussus sum sicut locusta. Adiuua me dñe deus meꝰ ꝫ sana me: ꝓpter misericordiā tuā. Retribue seruo tuo viuifica me: ꝫ custodiam sermones tuos. Reuela oculos meos: et ꝯsiderabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra: nō abscondas a me mādata tua. Concupiuit aīa mea desiderare iustificationes tuas: in oī tpe. Increpasti superbos maledicti qui declināt a mandatis tuis. Aufer a me opprobriū ꝫ cōtemptum: quia testimonia tua exq̄siui. Etenī sederūt principes et aduersum me loq̄bātur: seruus autē tuus exercebat in iustificationibꝰ tuis. Uiā iniq̄tatis amoue a me: ꝫ de lege tua miserere mei. Uiā veritatis elegi iudicia tua nō sum oblitus. Deduc me in semita mādatoꝝ tuoꝝ: quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua ꝫ non in auaritiam.

A uerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me. S tatue seruo tuo eloquiũ tuũ: in timore tuo. B onitatẽ ⁊ disciplinã et scientiã doce me: qꝛ mãdatis tuis credidi. B onus es tu ⁊ in bonitate tua doce me iustificationes tuas. F iat mia tua vt exhortetẽ me: secundũ eloquiũ tuũ seruo tuo. V eniãt michi miseratiões tue et viuã: qꝛ lex tua meditatio mea est. F iat cor meũ imaculatũ i iustificationibus tuis: vt nõ ꝯfundar. H umiliatus sũ vsqꝫquaqꝫ dñe: viuifica me scdm verbũ tuũ. V oluntaria oris mei beneplacita fac dñe: et iudicia tua doce me. A ia mea in manibus meis semp: ⁊ legẽ tuã nõ sũ oblitus. S uscipe me scdm eloquiũ tuũ ⁊ viuã: ⁊ nõ ꝯfũdas me ab expectatione mea. A diuua me et saluus ero: et meditabor in iustificationibus tuis semp. F ac cũ seruo tuo scdꝫ miaꝫ tuã: ⁊ iustificationes tuas doce me. S eruus tuus sũ ego da michi intellectũ vt sciã testimonia tua. R espice in me et miserere mei scdm iudiciũ diligentiũ nomen tuũ. G ressus meos dirige scdm eloquiũ tuũ: ⁊ nõ dñetur mei ois iniusticia. R edime me a calũniis hoim: vt custodiã mãdata tua. F aciẽ tuã illumina sup seruũ tuũ: ⁊ doce me iustificationes tuas. V ide humilitatẽ meã ⁊ eripe me: quia legẽ tuã nõ sum oblit⁹. I udica iudiciuꝫ meum ⁊ redime

me: ꝑpter eloquiū tuū viuifica me.
Appropinquet deprecatio mea in
cōspectu tuo dñe: iuxta eloquiū tuū
da michi intellectū. Intret oratio
mea in cōspectu tuo dñe: scdm elo-
quiū tuū eripe me. Eructabūt la-
bia mea hymnū: cum docueris me
iustificationes tuas. Annunciauit
lingua mea eloquiū tuum: quia oīa
mādata tua equitas. Fiat man⁹
tua vt saluū me faciat: quia man-
data tua elegi. Concupiui saluta-
re tuum dñe: et lex tua meditatio
mea est. Uiuet aīa mea et lauda-
bit te: ⁊ iudicia tua adiuuabūt me.
Erraui sicut ouis q̄ periit require
seruū tuū dñe: qꝛ mandata tua nō
sum oblitus. Miserere nobis dñe
miserere nobis: quia multū repleti
sumus cōtentione. Benefac dñe: bo-
nis ⁊ rectis corde. Conuertere dñe
captiuitatē nostrā: sicut torrens in
austro. De ꝓfūdis clamaui ad te
dñe: dñe exaudi vocē meā. Fiant
aures tue intendētes: in vocē depre-
cationis mee. In quacūq; die in-
uocauero te exaudi me: multiplica-
bis in aīa mea virtutē. Pone dñe
custodiā ori meo: et ostiū circūstan-
tie labiis meis. Non declines cor
meū in vba malicie: ad excusādas
excusatiōes in pctis. Intēde ad de-
precationē meā: qꝛ humiliat⁹ sum ni-
mis. Eripe me de ꝑsequentib⁹ me-
is: qꝛ preualuerūt sup me. Educ de
custodia aīam meā: ad ꝯfitēdū noī

tuo. Domine exaudi orōnē meā auribus pcipe obsecrationē meā: in veritate tua exaudi me i tua iusticia. Et nō intres i iudiciū cū seruo tuo qz nō iustificabit in ↄspectu tuo ois viuens. Quia psecutus est inimicus aiam meam: humiliauit in terra vitam meam. Velociter exaudi me dñe defecit spirit⁹ meus. Ne auertas faciē tuā a me: et ero silis descendentib⁹ in lacū. Auditā fac michi mane miam tuā: qz in te speraui. Notā fac michi viam in qua ambulē: qz ad te leuaui aiam meā. Eripe me de inimicis meis dñe ad te confugi doce me facere volūtatē tuā: quia deus meus es tu. Spūs tuus bonus deducet me in terram rectā: propter nomen tuū dñe viuificabis me in iusticia tua. Educes de tribulatione aiam meā: ꝫ in mia tua disperdes oēs inimicos meos. Et pdes oēs qui tribulant animā meam: quia ego seruus tuus sum.

Dona michi queso omps de⁹: vt per hāc sacrosanctā psalterii celestis melodiā aia mea sagi netur. Dona vt leo rugiens ab infirma oue superetur. Dona vt per tuā gratiā violētissimus spūs a debilissima carne vincatur. Dona vt ille q̄ de celo cecidit hic me pugnan te subdatur. Dona vt si potestatē ei⁹ ad tēpus tua pmissiōe patimur nequaq̄ eius insatiabilibus faucibus sorbeamur. Fac illum tristem

de humana salute qui de offensione nostra semp exultat. Fac me tuis semp laudibus vacare: et ad tuam quandoq dulcedinē misericorditer peruenire. Qui viuis z regnas de⁹ Per omnia secula seculoꝝ. Amen.

¶ Oratio ad sanctū hieronymū.

Aue amator ꝙ famose hieronyme gloriose. Magn⁹ amator xp̄i doce nos bene viuere. Deū vere diligere vt in libris scripsisti. O amator castitatis tenens vitam puritatis cordis per mūdiciā. Fac nos corpus castigare pro peccatisq plorare diuinā per gratiam. Emuli te clamabant sed nequaꝙ superabant per impatientiā. Ob amorem iesu christi fac implere quod fecisti nos per diligentiā. ℣. Ora p nobis gl'iose hieronyme. ℟. Ut deū diligamus corde ore z opere. Oratio.

Deus q gl'iosum ꝯfessorē tuū hieronymū multaꝝ diuersaꝝ nationū linguis peritū sacre biblie trāslatorē esse magna ex parte voluisti: z eccl'ie tue doctorē luminosū fecisti: p̄sta q̄s nobis xp̄ianis et oib⁹ in mūdo creaturis rationis capacib⁹: vt ei⁹ doctrinā z exēpla bone vite sequētes in te fideliter credam⁹ mentis mūdiciā teneam⁹/ te toto corde diligamus/ p inimicis ex corde vero p̄ces fundam⁹: z in his pseuerantes te doctore te duce ad te in celū perueniamus. Per xp̄m dn̄m nr̄m. Amen. ¶ Oratio sancti gregorii.



Dominator dñe deus omps q̃ es trinitas in filio ꝛ filius in patre vna cũ spũ sctõ q̃ es semp ꝛ eras ante oia ꝛ eris p oia bñdict⁹ de⁹ in secl'a scloꝝ. Commendo aiam meã in manus potẽtie tue vt custodias eã diebus ac noctib⁹ hozis atqꝫ momẽtis vite mee. Miserere michi de⁹ angelozũ ꝛ dirige me rex archangelozũ. Custodi me p ozones pҁiarcharũ/ merita ꝓphetaꝝ/suffragia apl'oꝝ/ p victoziã martyzũ/p fidẽ ꝯfessoꝝ/ p cõtinentiã virginũ/p intercessionẽ oim sctõꝝ ꝛ electoꝝ tuoꝝ q̃ tibi placuerunt ab initio mũdi. Ozet ꝓ me sanct⁹ abel q̃ pzimus cozonatus est martyzio. Ozet ꝓ me sanct⁹ enoch qui ambulauit cũ deo ꝛ trãslat⁹ est a mũdo. Ozet ꝓ me sanct⁹ noe quẽ dñs seruauit in diluuio ꝓpter iusticiã. Roget ꝓ me fidelis abzahã:qui pzim⁹ credidit deo cui reputata est fides ad iusticiã. Intercedat ꝓ me sanct⁹ ysaac q̃ fuit obediẽs pҁi vsqꝫ ad moztẽ in exẽplũ dñi nҁi iesu xp̃i qui oblatus est patri ꝓ salute mundi. Postulet pzo me felix iacob qui vidit angelos dei veniẽtes in auxilium sibi. Ozet pzo me dilectus a patre ioseph quem fratres sui vendiderũt. Postulet pzo me sanctus moyses cũ quo locutus est dñs fa-

nie ad faciē. Subueniat michi san-
ctus dauid quem elegisti dn̄e scđm
coꝛ tuū. Depꝛecet̄ ꝑ me helyas ꝑ-
pheta quem eleuasti ī curru igneo
vsq3 ad celū. Oꝛet pꝛo me helizeus
pꝛopheta q̄ suscitauit moꝛtuū post
moꝛtē suā. Oꝛet ꝑ me sctūs esayas
cui mūdata sunt labia igne celesti.
Assit michi beatus hieremias quē
sctificasti dn̄e in vtero matris sue.
Exoꝛet ꝑ me sanct⁹ ezechiel ꝑphe-
ta q̄ vidit visiones dei mirabiles.
Depꝛecetur ꝑ me sctūs daniel de-
siderabilis dei qui soluit somnia re-
gis ⁊ interpꝛetatus est iustus: ⁊ hic
liberat⁹ est de lacu leonū. Succur-
rāt michi tres pueri q̄ liberati sunt
ab igne sidꝛac/misaac/⁊ abdenago.
Inuoco in auxiliū meū duodecī ꝑ-
phetas: oseā: iohel: amos: abacuch:
abdiā: micheā: ionā: naum: sopho-
niā: aggeum: zachariā: et malachiā:
assistāt michi om̄es apl'i dn̄i nostri
iesu chꝛisti/ Petrus/ Paulus/ An-
dꝛeas/ Johānes/ Thomas/ Jaco-
bus/ Philippus/ Mattheus/ Jaco
bus/ Bartholome⁹/ Symō/ Tha-
deus/ Matthias: ⁊ oēs sancti disci-
puli dn̄i nostri iesu xp̄i. Depꝛecent̄
pꝛo me om̄es martyꝛes xp̄i et con-
fessoꝛes/ virgines ⁊ electi dei: vt su-
perare possim oēs tentationes ini-
